

REPEAL OF THE *LEX OPPIA* (195 B.C.) (34.1-8)

The *lex Oppia*, passed in 215 B.C. After the disaster at Cannae, severely limited the display of wealth at Rome, particularly by women. With the ending of the Second Punic War in 202 B.C., an effort was made to repeal the law.

1 [1] Inter bellorum magnorum aut vixdum finitorum aut imminentium curas
2 intercessit res parva dictu sed quae studiis in magnum certamen excesserit.
3 M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebi ad plebem tulerunt de Oppia lege
4 abroganda. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis Q. Fabio Ti. Sempronio
5 consulibus in medio ardore Punici belli, ne qua mulier plus semunciam auri
6 haberet neu vestimento versicolori uteretur neu iuncto uehiculo in urbe
7 oppidoue aut propius inde mille passus nisi sacrorum publicorum causa
8 ueheretur. M. Et P. Iunii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur nec
9 eam se abrogari passuros aiebant; ad suadendum dissuadendumque multi
10 nobiles prodibant; Capitolium turba hominum fauentium adversantiumque
11 legi complebatur. Matronae nulla nec auctoritate nec verecundia nec imperio
12 virorum contineri limine poterant, omnes vias urbis aditusque in forum
13 obsidebant, viros descendentes ad forum orantes ut florente re publica,
14 crescente in dies privata omnium fortuna matronis quoque pristinum
15 ornatum reddi paterentur. Augebatur haec frequentia mulierum in dies; nam
16 etiam ex oppidis conciliabulisque conveniebant. Iam et consules
17 praetoresque et alios magistratus adire et rogare audebant; ceterum minime
18 exorabilem alterum utique consulem M. Porcium Catonem habebant, qui pro
19 lege quae abrogabatur ita disseruit:

20 [2] “Si in sua quisque nostrum matre familiae, Quirites, ius et maiestatem
21 viri retinere instituisset, minus cum universis feminis negotii haberemus:
22 nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri hic quoque in foro

23 obteritur et calcatur, et quia singulas sustinere non potuimus universas
24 horremus. Equidem fabulam et fictam rem ducebam esse virorum omne
25 genus in aliqua insula coniuratione muliebri ab stirpe sublatum esse; ab nullo
26 genere non summum periculum est si coetus et concilia et secretas
27 consultationes esse sinas. Atque ego vix statuere apud animum meum
28 possum utrum peior ipsa res an peiore exemplo agatur; quorum alterum ad
29 nos consules reliquosque magistratus, alterum ad vos, Quirites, magis
30 pertinet. Nam utrum e re publica sit necne id quod ad vos fertur, vestra
31 existimatio est qui in suffragium ituri estis. Haec consternatio muliebris, sive
32 sua sponte sive auctoribus vobis, M. Fundani et L. Valeri, facta est, haud
33 dubie ad culpam magistratuum pertinens, nescio vobis, tribuni, an
34 consulibus magis sit deformis: vobis, si feminas ad concitandas tribunicias
35 seditiones iam adduxistis; nobis, si ut plebis quondam sic nunc mulierum
36 secessione leges accipiendae sunt. Equidem non sine rubore quodam paulo
37 ante per medium agmen mulierum in forum perueni. Quod nisi me
38 verecundia singularum magis maiestatis et pudoris quam universarum
39 tenuisset, ne compellatae a consule viderentur, dixissem: ‘qui hic mos est in
40 publicum procurrendi et obsidendi vias et viros alienos appellandi? Istud
41 ipsum suos quaeque domi rogare non potuistis? An blandiores in publico
42 quam in privato et alienis quam vestris estis? Quamquam ne domi quidem
43 vos, si sui iuris finibus matronas contineret pudor, quae leges hic rogarentur
44 abrogarenturue curare decuit.’ Maiores nostri nullam, ne privatam quidem
45 rem agere feminas sine tutore auctore uoluerunt, in manu esse parentium,
46 fratrum, virorum: nos, si diis placet, iam etiam rem publicam capessere eas
47 patimur et foro prope et contionibus et comitiis immisceri. Quid enim nunc
48 aliud per vias et compita faciunt quam rogationem tribunorum plebi suadent,
49 quam legem abrogandam censent? Date frenos impotenti naturae et indomito

50 animali et sperate ipsas modum licentiae facturas: nisi vos facietis, minimum
51 hoc eorum est quae iniquo animo feminae sibi aut moribus aut legibus
52 iniuncta patiuntur. Omnium rerum libertatem, immo licentiam, si vere dicere
53 uolumus, desiderant. Quid enim, si hoc expugnauerint, non temptabunt?

54 [3] Recensete omnia muliebria iura quibus licentiam earum adligauerint
55 maiores vestri per quaeque subiecerint viris; quibus omnibus constrictas vix
56 tamen continere potestis. Quid? Si carpere singula et extorquere et exaequari
57 ad extremum viris patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis? Extemplo
58 simul pares esse coeperint, superiores erunt. At hercule ne quid nouum in
59 eas rogetur recusant, non ius sed iniuriam deprecantur: immo ut quam
60 accepistis iussistis suffragiis vestris legem, quam usu tot annorum et
61 experiendo comprobastis, hanc ut abrogetis, id est, ut unam tollendo legem
62 ceteras infirmetis. Nulla lex satis commoda omnibus est: id modo quaeritur,
63 si maiori parti et in summam prodest. Si quod cuique privatim officiet ius, id
64 destruet ac demolietur, quid attinebit universos rogare leges quas mox
65 abrogare in quos latae sunt possint? Volo tamen audire quid sit propter quod
66 matronae consternatae procucurrerint in publicum ac vix foro se et contione
67 abstineant? Ut captivi ab Hannibale redimantur parentes, viri, liberi, fratres
68 earum? Procul abest absitque semper talis fortuna rei publicae; sed tamen,
69 cum fuit, negastis hoc piis precibus earum. At non pietas nec sollicitudo pro
70 suis sed religio congregavit eas: matrem Idaeam a Pessinunte ex Phrygia
71 uenientem accepturae sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni
72 praetenditur muliebri? ‘Ut auro et purpura fulgamus’ inquit, ‘ut carpentis
73 festis profestisque diebus, velut triumphantes de lege victa et abrogata et
74 captis ereptis suffragiis vestris, per urbem vectemur: ne ullus modus
75 sumptibus, ne luxuriae sit.’

76 [4] Saepe me querentem de feminarum, saepe de virorum nec de privatorum
77 modo sed etiam magistratum sumptibus audistis, diuersisque duobus uitis,
78 auaritia et luxuria, civitatem laborare, quae pestes omnia magna imperia
79 euerterunt. Haec ego, quo melior laetiorque in dies fortuna rei publicae est,
80 quo magis imperium crescit—et iam in Graeciam Asiamque transcendimus
81 omnibus libidinum inlecebris repletas et regias etiam adtrectamus gazas—,
82 eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint quam nos illas. Infesta, mihi
83 credite, signa ab Syracusis inlata sunt huic urbi. Iam nimis multos audio
84 Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque et antefixa fictilia
85 deorum Romanorum ridentes. Ego hos malo propitios deos et ita spero
86 futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per
87 legatum Cineam Pyrrhus non virorum modo sed etiam mulierum animos
88 donis temptavit. Nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata
89 erat; tamen nulla accepit. Quam causam fuisse censetis? Eadem fuit quae
90 maioribus nostris nihil de hac re lege sanciundi: nulla erat luxuria quae
91 coereretur. Sicut ante morbos necesse est cognitos esse quam remedia
92 eorum, sic cupiditates prius natae sunt quam leges quae iis modum facerent.
93 Quid legem Liciniam excitavit de quingentis iugeribus nisi ingens cupido
94 agros continuandi? Quid legem Cinciam de donis et muneribus nisi quia
95 vectigalis iam et stipendiaria plebs esse senatui coeperat? Itaque minime
96 mirum est nec Oppiam nec aliam ullam tum legem desideratam esse quae
97 modum sumptibus mulierum faceret, cum aurum et purpuram data et oblata
98 ultro non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cineas urbem circumiret,
99 stantes in publico invenisset quae acciperent. Atque ego nonnullarum
100 cupiditatum ne causam quidem aut rationem inire possum. Nam ut quod alii
101 liceat tibi non licere aliquid fortasse naturalis aut pudoris aut indignationis
102 habeat, sic aequato omnium cultu quid unaquaeque vestrum veretur ne in se

103 conspiciatur? Pessimus quidem pudor est vel parsimoniae vel paupertatis;
104 sed utrumque lex vobis demit cum id quod habere non licet non habetis.
105 ‘Hanc’ inquit ‘ipsam exaequationem non fero’ illa locuples. ‘Cur non
106 insignis auro et purpura conspicior? Cur paupertas aliarum sub hac legis
107 specie latet, ut quod habere non possunt habiturae, si liceret, fuisse
108 videantur?’ Vultis hoc certamen uxoribus vestris inicere, Quirites, ut divites
109 id habere velint quod nulla alia possit, pauperes ne ob hoc ipsum
110 contemnantur, supra vires se extendant? Ne [eas] simul pudere quod non
111 oportet coeperit, quod oportet non pudebit. Quae de suo poterit, parabit:
112 quae non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum, et qui exoratus et qui
113 non exoratus erit, cum quod ipse non dederit datum ab alio videbit. Nunc
114 volgo alienos viros rogant et, quod maius est, legem et suffragia rogant et a
115 quibusdam impetrant. Adversus te et rem tuam et liberos tuos exorabilis es:
116 simul lex modum sumptibus uxoris tuae facere desierit, tu nunquam facies.
117 Nolite eodem loco existimare, [Quirites,] futuram rem quo fuit antequam lex
118 de hoc ferretur. Et hominem improbum non accusari tutius est quam absolui,
119 et luxuria non mota tolerabilior esset quam erit nunc, ipsis vinculis sicut
120 ferae bestiae inritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogandam legem
121 Oppiam censeo: vos quod faxitis, deos omnes fortunare velim.”

122 [5] Post haec tribuni quoque plebi qui se intercessuros professi erant, cum
123 pauca in eandem sententiam adiecissent, tum L. Valerius pro rogatione ab se
124 promulgata ita disseruit:

125 “Si privati tantummodo ad suadendum dissuadendumque id quod ab nobis
126 rogatur processissent, ego quoque, cum satis dictum pro utraque parte
127 existimarem, tacitus suffragia vestra expectassem: nunc cum vir clarissimus,

128 consul M. Porcius, non auctoritate solum, quae tacita satis momenti
129 habuisset, sed oratione etiam longa et accurata insectatus sit rogationem
130 nostram, necesse est paucis respondere. Qui tamen plura verba in castigandis
131 matronis quam in rogatione nostra dissuadenda consumpsit, et quidem ut in
132 dubio poneret utrum id quod reprobaret matronae sua sponte an nobis
133 auctoribus fecissent. Rem defendam, non nos, in quos iecit magis hoc consul
134 verbo tenus quam ut re insimularet. Coetum et seditionem et interdum
135 secessionem muliebrem appellavit quod matronae in publico vos rogassent
136 ut legem in se latam per bellum temporibus duris in pace et florenti ac beata
137 re publica abrogaretis. Verba magna quae rei augendae causa conquirantur et
138 haec et alia esse scio, et M. Catonem oratorem non solum gravem sed
139 interdum etiam trucem esse scimus omnes, cum ingenio sit mitis. Nam quid
140 tandem noui matronae fecerunt, quod frequentes in causa ad se pertinente in
141 publicum processerunt? Nunquam ante hoc tempus in publico apparuerunt?
142 Tuas adversus te Origines revoluam. Accipe quotiens id fecerint, et quidem
143 semper bono publico. Iam a principio, regnante Romulo, cum Capitolio ab
144 Sabinis capto medio in foro signis conlatis dimicaretur, nonne intercurso
145 matronarum inter acies duas proelium sedatum est? Quid? Regibus exactis
146 cum Coriolano Marcio duce legiones Volscorum castra ad quintum lapidem
147 posuissent, nonne id agmen quo obruta haec urbs esset matronae averterunt?
148 Iam urbe capta a Gallis aurum quo redempta urbs est nonne matronae
149 consensu omnium in publicum contulerunt? Proximo bello, ne antiqua
150 repetam, nonne et, cum pecunia opus fuit, viduarum pecuniae adiuverunt
151 aerarium et, cum di quoque noui ad opem ferendam dubiis rebus
152 accerserentur, matronae universae ad mare profectae sunt ad matrem Idaeam
153 accipiendam? Dissimiles, inquis, causae sunt. Nec mihi causas aequare
154 propositum est: nihil noui factum purgare satis est. Ceterum quod in rebus ad

155 omnes pariter viros feminas pertinentibus fecisse eas nemo miratus est, in
156 causa proprie ad ipsas pertinente miramur fecisse? Quid autem fecerunt?
157 Superbas, me dius fidius, aures habemus si, cum domini seruorum non
158 fastidiant preces, nos rogari ab honestis feminis indignamur.

159 [6] Venio nunc ad id de quo agitur. In quo duplex consulis oratio fuit; nam et
160 legem ullam omnino abrogari est indignatus et eam praecipue legem quae
161 luxuriae muliebris coercendae causa lata esset. Et illa communis pro legibus
162 uisa consularis oratio est, et haec adversus luxuriam seuerissimis moribus
163 conveniebat; itaque periculum est, nisi quid in utraque re uani sit
164 docuerimus, ne quis error vobis offundatur. Ego enim quemadmodum ex iis
165 legibus quae non in tempus aliquod sed perpetuae utilitatis causa in
166 aeternum latae sunt nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus
167 coarguit aut status aliquis rei publicae inutilem fecit, sic quas tempora aliqua
168 desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, et temporibus ipsis mutabiles esse
169 video. Quae in pace latae sunt, plerumque bellum abrogat, quae in bello, pax,
170 ut in navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui
171 sunt. Haec cum ita natura distincta sint, ex utro tandem genere ea lex esse
172 videtur quam abrogamus? [Num]quae vetus? Regia lex simul cum ipsa urbe
173 nata aut, quod secundum est, ab decemuiris ad condenda iura creatis in
174 duodecim tabulis scripta, sine qua cum maiores nostri non existimarint decus
175 matronale servari posse, nobis quoque verendum sit ne cum ea pudorem
176 sanctitatemque feminarum abrogemus? Quis igitur nescit novam istam
177 legem esse, Q. Fabio et Ti. Sempronio consulibus viginti ante annis latam?
178 Sine qua cum per tot annos matronae optimis moribus vixerint, quod tandem
179 ne abrogata ea effundantur ad luxuriam periculum est? Nam si ista lex
180 [vetus] aut ideo lata esset ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret ne

181 abrogata incitaret: cur sit autem lata, ipsum indicabit tempus. Hannibal in
182 Italia erat, victor ad Cannas; iam Tarentum, iam Arpos, iam Capuam
183 habebat; ad urbem Romam admoturus exercitum videbatur; defecerant socii;
184 non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non
185 pecuniam in aerario habebamus; servi quibus arma darentur ita ut pretium
186 pro iis bello perfecto dominis solueretur emebantur; in eandem diem
187 pecuniae frumentum et cetera quae belli usus postulabant praebenda
188 publicani se conducturos professi erant; servos ad remum numero ex censu
189 constituto cum stipendio nostro dabamus; aurum et argentum omne ab
190 senatoribus eius rei initio orto in publicum conferebamus; viduae et pupilli
191 pecunias suas in aerarium deferebant; cautum erat quo ne plus auri et argenti
192 facti, quo ne plus signati argenti et aeris domi haberemus—tali tempore in
193 luxuria et ornatu matronae occupatae erant, ut ad eam coercendam Oppia lex
194 desiderata sit, cum quia Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis
195 intermissum erat, senatus finiri luctum triginta diebus iussit? Cui non apparet
196 inopiam et miseriam civitatis, [et] quia omnium privatorum pecuniae in
197 usum publicum vertendae erant, istam legem scripsisse tam diu mansuram
198 quam diu causa scribendae legis mansisset? Nam si quae tunc temporis
199 causa aut decrevit senatus aut populus iussit in perpetuum servari oportet,
200 cur pecunias reddimus privatis? Cur publica praesenti pecunia locamus? Cur
201 serui qui militent non emuntur? Cur privati non damus remiges sicut tunc
202 dedimus?

203 [7] Omnes alii ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum rei
204 publicae sentient: ad coniuges tantum nostras pacis et tranquillitatis publicae
205 fructus non perueniet? Purpura viri utemur, praetextati in magistratibus, in
206 sacerdotiis, liberi nostri praetextis purpura togis utentur; magistratibus in

207 coloniis municipiisque, hic Romae infimo generi, magistris vicorum, togae
208 praetextae habendae ius permittemus, nec id ut vivi solum habeant [tantum]
209 insigne sed etiam ut cum eo crementur mortui: feminis dumtaxat purpurae
210 usu interdicemus? Et cum tibi viro liceat purpura in vestem stragulam uti,
211 matrem familiae tuam purpureum amiculum habere non sines, et equus tuus
212 speciosius instratus erit quam uxor vestita? Sed in purpura, quae teritur
213 absumitur, iniustam quidem sed aliquam tamen causam tenacitatis video; in
214 auro vero, in quo praeter manupretium nihil intertrimenti fit, quae malignitas
215 est? Praesidium potius in eo est et ad privatos et ad publicos usus, sicut
216 experti estis. Nullam aemulationem inter se singularum, quoniam nulla
217 haberet, esse aiebat. At hercule universis dolor et indignatio est, cum
218 sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta quae sibi
219 adempta sint, cum insignes eas esse auro et purpura, cum illas uehi per
220 urbem, se pedibus sequi, tamquam in illarum civitatibus non in sua
221 imperium sit. Virorum hoc animos uolnerare posset: quid muliercularum
222 censetis, quas etiam parua mouent? Non magistratus nec sacerdotia nec
223 triumpho nec insignia nec dona aut spolia bellica iis contingere possunt:
224 munditiae et ornatus et cultus, haec feminarum insignia sunt, his gaudent et
225 gloriantur, hunc mundum muliebre appellarunt maiores nostri. Quid aliud
226 in luctu quam purpuram atque aurum deponunt? Quid cum eluxerunt
227 sumunt? Quid in gratulationibus supplicationibusque nisi excellentiorem
228 ornatum adiciunt? Scilicet, si legem Oppiam abrogaritis, non vestri arbitrii
229 erit si quid eius uetare uolueritis quod nunc lex uetat: minus filiae, uxores,
230 sorores etiam quibusdam in manu erunt. Nunquam saluis suis exiit
231 seruitus muliebris, et ipsae libertatem quam uiditas et orbitas facit
232 detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum quam in legis malunt esse; et
233 vos in manu et tutela, non in seruitio debetis habere eas et malle patres vos

234 aut viros quam dominos dici. Invidiosis nominibus utebatur modo consul
235 seditionem muliebrem et secessionem appellando. Id enim periculum est ne
236 Sacrum montem, sicut quondam irata plebs, aut Auentinum capiant.
237 Patiendum huic infirmitati est, quodcumque vos censueritis. Quo plus
238 potestis, eo moderatius imperio uti debetis.”

239 [8] Haec cum contra legem proque lege dicta essent, aliquanto maior
240 frequentia mulierum postero die sese in publicum effudit unoque agmine
241 omnes Brutorum ianuas obsederunt, qui collegarum rogationi intercedebant,
242 nec ante abstiterunt quam remissa intercessio ab tribunis est. Nulla deinde
243 dubitatio fuit quin omnes tribus legem abrogarent. Viginti annis post
244 abrogata est quam lata. M. Porcius consul, postquam abrogata lex Oppia est,
245 extemplo viginti quinque navibus longis, quarum quinque sociorum erant, ad
246 Lunae portum profectus est eodem exercitu convenire iusso, et edicto per
247 oram maritimam misso navibus omnis generis contractis ab Luna
248 proficiscens edixit ut ad portum Pyrenaei sequerentur: inde se frequenti
249 classe ad hostes iturum. Praeteruerti Ligustinos montes sinumque Gallicum
250 ad diem quam dixerat convenerunt. Inde Rhodam uentum et praesidium
251 Hispanorum quod in castello erat ui deiectum. Ab Rhoda secundo vento
252 Emporias peruentum: ibi copiae omnes praeter socios navales in terram
253 expositae.